



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

[Prologus.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

PARS II.

TRACTANS LIBROS DE COELO,
MUNDO & METEORIS.

PROLOGUS.



Ost sedulam Auscultatoriorum Librorum elucidationem, in quo omnium naturalium rerum principia, causae, effectus & proprietates examinatae fuerunt in genere, descendo ad speciem illius corporis, quod opificio perfectissimum, firmissimum, certissimum & pulcherrimum est, nempe totum hoc universum (à solemniori parte intitulatur, ut fieri assolet, *de Caelo*) in quod veluti in Theatrum, aut veluti in Convivium est inductus homo postmodum, ut Philo Judæus discurret, lib. de opificio mundi, ubi convivium hoc est abundans uberrimis copiis rerum, quas terra, fluvii, mare suppeditant, ad usum simul & jucunditatem: Theatrum verò refertum variis spectaculis, quæ perhibet Cœlestium orbium magnitudo, cursus velocissimus, pellucidus splendor, dum Cœli nocte suda, siderum & stellarum, veluti gemmarum interlucentium varietate ornati procedunt, dum errantia astra, quasi Choreas sine vertigine & defatigatione ducunt, ortumque & occasum ostendunt, alternantesque vices rebus omnibus amœnitatem conciliant & pretium augent, superiorum desiderium inflammant & accendunt eò fortius, quò diutius, ponderosius & sapientius spectacula fuerint considerata, hinc inter sidera vagantes rident divitum pavimenta cedrina, & totam auri substantiam, & quidquid apud homines in aestimatione haberi potest: hinc præclare mellifluus noster Bernardus Serm. de S. Martino ait: quòd Deus propterea à rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cum prona utiq. spectent animantia cetera terram, ut attollens ad sidera vultus illicò suspiret, ubi tam beatam, & perennem conspiciat mansionem, quam Deus præparavit diligentibus se, ideoq; ait: Cœlum à celando dictum, quòd celetur eximium nescio quid; nempe quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hujus partis & materiae objectum est totum hoc universum complectens Cœlum & terram. eam pròinde sic tractabo, & ut Philosophica per se, & directe explicare conabor, per accidens quædam Astronomica. Omnia tamen ad supremi Conditoris Cœlorum gloriam, de quo etiam sit

F. Amandi Hermann Physica.

Yyy 2 DISPU.